

SUPPLEMENTUM
A D
MISSALE ROMANUM
P R O D I Œ C E S I
CORISOPITENSI.

*De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi DD. TUSSANI-
FRANCISCI-JOSEPHI CONEN DE SAINT LUC, Epif-
copi Corisopitensis & Cornubiæ Comitis, & de Venerabilis Capituli
consensu.*



C O R I S O P I T E N S I ,

Apud YVONEM-JOANNEM-LUDOVICUM DERRIEN, Regis, Illustriss.
ac Reverend. Episcopi, & Cleri Cornubienfis Typographum. 1780.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

SUPPLEMENTUM
AD MISSALE ROMANUM
P R O
DIÆCESI CORISOPITENSI.

F E S T A D E C E M B R I S.

DIE I. DECEMBRIS.

In Festo S. Tugduali Episcopi & Confessoris. Missa, Sacerdotes tui, de Communi Confessoris Pontificis.

Corentini Confessoris tui atque Pontificis annuam solemnitatem recolimus, vitæ præsentis & futuræ præsidiiis gaudeamus. Per Dominum, &c.

Deinde fit commemoratio feriæ tantum.

DIE XII. DECEMBRIS.

I N F E S T O

S. C O R E N T I N I
primi Corisopitensis Episcopi & Confessoris.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebræos. *Heb. 13.*

Fratres, Mementote præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitami fide. Jesus Christus heri, & hodiè: ipse & in sæcula. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratiâ stabilire cor, non escis: quæ non profuerunt ambulanti- bus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem,

I N T R O I T U S.

Statuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum, ut sit illi Sacerdotii dignitas in æternum. *Eccl. 45.*

Psal. Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus. Psal. 131. Gloria Patri, &c.

O R A T I O.

Gratia tuæ, quæsumus Domine, tribue largitatem: ut qui beati

A



Document numérisé en 2023

horum corpora cremantur extrà castra. Propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extrà portam passus est. Exeamus igitur ad eum extrà castra, improprium ejus portantes. Non enim habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficentiæ autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

Grad. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. *Ps.* Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. *Eccl.* 44.

Alleluia, alleluia. *Ps.* Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Alleluia. *Psal.* 109.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. *Luc.* 11.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed suprâ candela-brum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum

erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Dicitur Credo per Octavam.

Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus. *Psal.* 88.

SECRET A.

MUnera, quæsumus, Domine, tibi dicata sanctifica: & interveniente beato Corentino Confessore tuo atque Pontifice, in iis partem nos invenire concede. Per Dominum.

Commemoratio feriæ.

Præfatio de B. M. Et te in Conceptione.

Communio. Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam; ut det illis in tempore tritici mensuram. *Luc.* 12.

POSTCOMMUNIO.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut divina laudamus in hujus sancti Confessoris tui atque Pontificis Corentini solemnitate magnalia, sic indulgentiam tuam piis ejus precibus consequamur. Per Dominum, &c.

DIE XIV. DECEMBRIS.

Missâ ut in die Festi S. Corentini.

Commem. Oct. Concept. & feriæ.

Si hæc dies sit Dominica, Missâ de Dom. commem. duarum Octav.

Si hæc die contingat feriâ 4^a quatuor Temporum, Missâ erit de feriâ cum colore violaceo & commem. duar.

Oct. sine Gloria in excelsis & Credo, diceturque Præfatio communis.

DIE XVII. DECEMBRIS.

In Festo S. Judicælis Aremoricæ Regis, Confessoris.

Omittitur hoc Festum, quando omnibus Festis translatis non superest intra reliquum anni curriculum locus.

INTROITUS.

QUis dabit mihi pennas sicut columbæ? Et volabo & requiescam. Ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate. *Psal.* 54.

Psal. Domine, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. *Psal.* 20. Gloria Patri.

ORATIO.

DEus, qui beatum Judicælem à terreni principatus gloriâ ad perfectionis evangelicæ professionem evocasti: ejus nobis intercessionem & auxilio tribue, ut spretis

mundi illecebris, Christum sequi valeamus. Qui tecum vivit, &c.

Commemoratio feriæ.

Lectio Libri Ecclesiastæ. Eccl. 1 & 2.

EGO fui Rex Israel in Jerusalem: & proposui in animo meo quærere & investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole; & ecce universa vanitas, & afflictio spiritûs. Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientiâ, qui fuerunt antè me in Jerusalem: & mens mea contemplata est multa sapienter; & agnovi quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritûs. Dixi ego in corde meo: Vadam, & affluam divitiis, & fruam bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas. Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole. Transivi ad contemplandam sapientiam, erroresque & stultitiam: (quid est, inquam, homo, ut sequi possit Regem factorem suum?) Et vidi quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris. Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole.

Graduale. Quid prodest homini si universum mundum lucretur, ani-

mæ verò suæ detrimentum patiatur? *Matth. 16.*

¶ Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quòd nec auferre quid possumus. *1. Tim. 6.*

Alleluia, alleluia. ¶ Quæ retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. *Philip. 3.* Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. *Luc. 18.*

IN illo tempore: Jesus ait cuidam Principi: Unum tibi deest; omnia quaecumque habes vende & da pauperibus, & habebis thesaurum in coelo; & veni, sequere me. His ille auditis, contristatus est, quia dives erat valdè. Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit: Quàm difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt! Facilius est enim camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum Dei. Et dixerunt qui audiebant: Et quis potest salvus fieri? Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Ait autem Petrus: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei, & non

recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.

Offertorium. Fide majores divitias æstimans, thesauro Ægyptiorum, improprium Christi, aspiciēbat in remunerationem: fide reliquit Ægyptum, invisibilem enim tantquam videns sustinuit. *Hebr. 11.*

SECRET A.

Suscipe, Domine, sacrificium splacationis & laudis; quod nos, interveniente beato Judicaele, & à terrenis expediat affectibus, & in perpetuam gratiarum actione constituat. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

Commemoratio feriæ.

Communio. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, proteges eos in tabernaculo tuo. *Psal. 30.*

POSTCOMMUNIO.

Absconde nos, Domine, in abscondito faciei tuæ corporis tui Sacramento munitos: ut à mundi periculis & tentationibus liberi, Sancti Judicaelis imitatione, in lege tuâ die ac nocte meditantes, deliciis perfrui mereamur æternis. Qui vivis & regnas in unitate Spiritus Sancti, &c.

Commemoratio feriæ.

DIE

DIE XVIII. DECEMBRIS.

In Festo Expectationis partûs B. M. V. Missa votiva B. M. V. tempore Adventûs. Fit commemor. feriæ. Dicitur Credo. Præfatio de B. M. Et te in Expectatione.

FESTA JANUARI.

DIE V. JANUARI.

In Festo Ss. Angelorum Regis & Regni Galliæ Custodum. Missa, Benedicite Dominum, ut 2 Octob. cum Orat. prop.

ORATIO.

DEus, qui ineffabili Providentiâ sanctos Angelos tuos ad Regum & Regnorum custodiam mittere dignaris, largire Christianissimo Regi nostro N. & omnibus subditis ejus, & eorum semper in terris protectione defendi, & æternam in coelis societate gaudere. Per Dominum.

Commemoratio vigiliæ.

Deinde commemor. S. Telesphori P. & M. in Missis privatis tantum. Evang. vig. in fine.

DIE XIV. JANUARI.

In Festo S. Hilarii Episcopi & Doctoris. Introitus, In medio, &c. ut in Missali die 14 Januarii. Dicitur Credo.

DIE XXVII. JANUARI.

In Festo S. Juliani Episcopi & Confessoris. Missa, Statuit ei Dominus, de Communi Confessoris Pont.

FESTA FEBRUARI.

Feriâ quartâ antè Cineres, in Festo Effusionis Sanguinis ex Imagine Crucifixi. Missa votiva de Passione Domini. Epistola, Christus assistens, ex Dominicâ Passionis. Dicuntur Gloria in excelsis, Credo & Præfatio de Cruce.

DIE III. FEBRUARI.

In Festo S. Genovefæ Virginis.

INTROITUS.

GAudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore beatæ Genovefæ Virginis; de cujus solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei.

Psal. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Psal. 44. Gloria Patri.

Cætera, præter Orationes, ut in Missâ, Diluxisti, de Communi Virginis tantum.

ORATIO.

Sanctæ Genovefæ, Virginis tuæ, Domine Deus, gloriosis meritis adjuvemur, ut ejus sacro interventu, corporis & animæ sanitate gauden-

B

tes, gratiâ tuâ cooperante, salvemur.
Per Dominum.

Commemoratio S. Blasii.

SECRET A.

INterveniente pro nobis beatâ Virgine Genovesâ, clementiam tuam deposcimus, omnipotens, æterne Deus, ut salutem animarum nostrarum pariter & corporum hæc hostia sacro-sancta efficaciter operetur. Per Dominum.

Commemoratio S. Blasii.

POSTCOMMUNIO.

Celesti pane refecti, humiliter deprecamur clementiam tuam, Domine Jesu Christe, ut per preces & merita beatæ Genovesæ, Virginis tuæ, veniam delictorum, sospitatem corporum, gratiamque & gloriam æternam consequamur. Qui vivis, &c.

Commemoratio S. Blasii.

DIE VI. FEBRUARII.

In Festo Desponsationis B. M. V. cum S. Joseph. Missa ut in votivâ de B. M. à Purific. usque ad Pascha, præter ea quæ sequuntur.

ORATIO.

Famulis tuis, quæsumus Domine, cœlestis gratiæ munus impertire; ut quibus beatæ Virginis partus exitit salutis exordium, Desponsationis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

Pro Sancto Joseph.

ORATIO.

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus, Domine, meritis adjuvemur; ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessionem donetur.

Commem. S. Dorotheæ V. & M.

Lectio Libri Sapientiæ. Prov. 8.

Dominus possedit me in initio viarum suarum: antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravimole confiterant: ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præparabat cœlos, aderam: quando certâ lege & gyro vallabat abyssos: quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ; cum eo eram cuncta componens. Et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Nunc ergo, filii, audite me. Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, &

Pro Sancto Joseph.

SECRET A.

Debitum tibi, Domine, nostræ reddimus servitutis, suppliciter exorantes ut suffragiis beati Joseph, Sponsi Genitricis Filii tui Jesu Christi Domini nostri, in nobis tua munera tuearis, ob cujus venerandam Festivitatem laudis tibi hostias immolamus.

Commem. S. Dorotheæ.

Præfatio de B. M. Et te in Desponsatione.

POSTCOMMUNIO.

Sumpimus, Domine, celebritatis Annuæ votiva Sacramenta; præsta, quæsumus, ut & temporalis vitæ nobis remedia præbeant & æternæ. Per Dominum.

Pro Sancto Joseph.

POSTCOMMUNIO.

Adesto nobis, quæsumus, misericors Deus, & intercedente pro nobis beato Joseph Confessore tuo, tuæ circa nos propitiationis dona custodi.

Commem. S. Dorotheæ.

DIE XXVIII. FEBRUARII.

In Festo S. Ruelini Episcopi & Confessoris. Missa, Sacerdotes tui, de Communi Confessoris Pontificis.

Feriâ sextâ antè Dominicam secundam Quadrages. in Festo Quinque

estote sapientes, & nolite abjicere eam. Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

† *Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 1.*

Cum esset desponsata Mater Jesu, Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in eâ natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.

Dicitur Credo.

SECRET A.

Unigeniti tui, Domine, nobis succurrat humanitas; ut qui natus de Virgine, Matris integritatem non minuit, sed sacraivit, in Desponsationis ejus solemniis, nostris nos piaculis exuens, oblationem nostram tibi faciat acceptam. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Plagarum D. N. J. C. Omnia, præter Orationes, ex Missâ votivâ de Passione. Dicitur Gloria in excelsis.

ORATIO.

DEus, qui Unigeniti tui Passione & per quinque vulnera ejus, sanguinis effusione humanam naturam peccato perditam reparasti; tribue nobis, quæsumus, ut qui ab eo suscepta vulnera veneramur in terris, ejusdem pretiosissimi sanguinis fructum consequi mereamur in cœlis. Per eundem Dominum nostrum Jesum, &c.

Commemoratio feriæ.

Dicitur Credo.

SECRETA.

MAjestati tuæ, quæsumus, Domine, accepta sint dona in quibus ipsa Unigeniti tui vulnera offerimus nostræ pretia libertatis. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

Commemoratio feriæ.

Præfatio de Cruce.

POSTCOMMUNIO.

REfecti vitalibus alimoniis, quæsumus, Domine, Deus noster, ut qui vulnera Domini nostri Jesu Christi hodiè devotè colimus, hæc in cordibus nostris impressa moribus & vitâ teneamus. Per eundem Dominum nostrum.

Commemoratio feriæ.

Evang. feriæ in fine.

FESTA MARTII.

DIE I. MARTII.

In Festo S. Albini Episcopi & Confessoris. Missa, Statuit ei Dominus, de Communi Confessoris Pontificis.

DIE III. MARTII.

In Festo S. Guingaloei Abbatis. Missa, Os justi, de Communi Abbatum. Evang. Accesserunt discipuli, ex Festo S. Michaelis Archang. die 29 Septembris.

DIE XIII. MARTII.

In Festo S. Pauli Episcopi & Confessoris. Missa, Sacerdotes tui, de Communi Confessoris Pontificis.

DIE XVIII. MARTII.

In Festo S. Gabrielis Archangeli. Omnia ex Missâ votivâ de Angelis, præter Orat. Epistolam & Evangel.

ORATIO.

DEus, qui per Archangelum tuum Gabrielem, Salvatorem mundi sacratissimæ Virgini concipiendum nuntiasti: da ut eundem & mente purâ concipiamus, & fervido imitemur affectu. Quî tecum vivit, &c.

Commem. fer. in Quadrag.

Lectio

CORISOPITENSE.

Lectio Danielis Prophetæ. Dan. 9.

IN diebus illis: ecce vir Gabriel quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, & locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergò animadverte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergò, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio.

Evangelium, Missus est Angelus

Gabriel, ex Missâ votivâ B. M. V. tempore Adventus.

Dicitur Credo.

SECRETA.

ANnue nobis, misericors Deus, aut intercedente beato Gabriele Archangelo tuo, hostias placationis & laudis sincero tibi deferamus obsequio. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Commem. fer. in Quadrag.

POSTCOMMUNIO.

DA nobis, quæsumus, Domine, Deus noster, ut interveniente beato Gabriele Archangelo tuo, quæ tua sunt jugiter exequentes, donis mereamur cœlestibus propinquare. Per Dominum.

In Quadrag. com. fer. & Evang. fer. in fine.

FESTA APRILIS.

DIE VII. APRILIS.

In Festo S. Gonerii Confessoris. Missa, Justus ut palma, de Communi Confessoris non Pontificis. In Quadrag. com. fer. & Evang. fer. in fine.

DIE XVI. APRILIS.

In Festo S. Paterni Episcopi & Confessoris. Missa, Statuit ei Dominus, de Communi Confessoris Pontificis.

DIE XXIV. APRILIS.

In Festo S. Fidelis à Sigmaringâ Proto-Martyris Sacrae Congregationis de propagandâ Fide. Missa, Protexti, de Communi unius Martyris temp. pasch. cum Oratione propria.

O R A T I O.

DEus, qui beatum Fidelem Sraphico Spiritûs ardore succensum in veræ Fidei propagatione Martyrii palmâ, & gloriosis miraculis decorare dignatus es: ejus, quæsumus, meritis & intercessione, ita nos per gratiam tuam in Fide & Charitate confirma, ut in servitio tuo fideles usque ad mortem inveniri mereamur. Per Dominum.

DOMINICA III. POST PASCHA.

In Festo Patrocinii S. Joseph Sponsi B. M. V. Confessoris.

¶ *Si hæc Dominica sit impedita duplici 1. vel 2. cl. transfertur hoc Festum in Dom. sequentem. At si simul Dom. IV. impedita sit dup. 1. vel 2. cl. transfertur hoc Festum in primam diem non impeditam Festo novem Lectionum.*

I N T R O I T U S.

Adjutor & protector noster est Dominus: in eo lætabitur cor nostrum: & in nomine sancto ejus speravimus. *Ps. 32. Alleluia, allel. Psal. Qui regis Israel, intende:*

qui deducis velut ovem Joseph. *Ps. 79. Gloria Patri.*

O R A T I O.

DEus, qui ineffabili Providentiâ beatum Joseph sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsum eligere dignatus es: præsta, quæsumus, ut quem Protectorem veneramus in terris, Intercessorem habere mereamur in cœlis. Qui vivis, &c.

Commem. Dom.

Lectio Libri Genesis. *Gen. 49.*

Filius accrescens Joseph, filius accrescens & decorus aspectu: filiae discurrerunt super murum. Sed exasperaverunt eum, & jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula. Sedit in forti arcus ejus, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Jacob: inde Pastor egressus est, lapis Israel. Deus patris tui erit adjutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum & vulvæ. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium Collum æternorum. Fiant in capite Joseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.

Alleluia, alleluia. *Ps. De quacumque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos: & ero Protector eo-*

P O S T C O M M U N I O.

DIvini muneris fonte refecti, quæsumus, Domine, Deus noster; ut sicut nos facis beati Joseph protectione gaudere, ita ejus meritis & intercessione cœlestis gloriæ facias esse participes. Per Dominum nostrum, &c.

Commem. Dom.

Evangelium Dom. in fine.

F E S T A M A I I.

DOM. I. INTRA MENSEM MAIUM.

In Festo Translationis S. CORENTINI.

¶ *Hoc Festum in Civitate, id est, in Ecclesiâ Cathedrali & in quinque Parochiis ipsi adjunctis, tam in concursu quàm in occurso præfertur Festis Ss. Philippi & Jacobi, ac Inventionis S. Crucis, sed non ita per Diocesim.*

Missa ritu paschali, ut in Festo S. Corentini, præter ea quæ sequuntur.

O R A T I O.

DEus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Corentinum ministrum tribuisti, præsta, quæsumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, Intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

Loco Gradualis dicitur Alleluia, alleluia. Ps. Tu es Sacerdos in æter-

rum semper. Alleluia.

Ps. Fac nos innocuam, Joseph, decurrere vitam, sitque tuo semper tutata patrocini. Alleluia.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. *Luc. 3.*

In illo tempore: Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato, & orante, apertum est cœlum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & vox de cœlo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, Filius Joseph.

Dicitur Credo, ratione Dominicæ.

Offertorium. Lauda, Jerusalem, Dominum; quoniam confortavit feras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te. Ps. 147. Alleluia, alleluia.

S E C R E T A.

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi Patrocini suffulti, rogamus, Domine, clementiam tuam, ut corda nostra facias terrena cuncta despiciere, ac te verum Deum perfectâ charitate diligere. Qui vivis, &c.

Commem. Dom.

Communio. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus. Mat. 1. Alleluia, alleluia.

num secundum ordinem Melchisedech. *Psal. 109.*

Alleluia. *v.* Hic est Sacerdos quem coronavit Dominus. Alleluia.

Antè Octavam Ascensionis Præfatio Paschalis. Infrà hanc Octavam Præfatio & Communicantes de Ascensione.

POSTCOMMUNIO.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut divina laudamus in hujus sancti Confessoris tui atque Pontificis Corentini Translatione magnalia, sic indulgentiam tuam piis ejus precibus consequamur. Per Dominum.

DIE XI. MAII.

In Festo S. Tudini Abbatis. Missa, Os justi, de Communi Abbatum.

DIE XIII. MAII.

In Festo S. Brioci Episcopi & Confessoris. Missa, Statuit ei Dominus, de Communi Confessoris Pont.

DIE XV. MAII.

In Festo S. Primaëlis Presbyteri & Confessoris. Missa, Justus ut palma, de Communi Confess. non Pont.

DIE XVII. MAII.

In Festo S. Joannis Nepomuceni Martyris. Temp. pasch. Missa, Protextisti, cum Evangelio, Nihil est

opertum; & *extrà tempus pasche Missa, Lætabitur. In utràque Orationes propriæ.*

ORATIO.

DEus, qui ob invictum beati Joannis sacramentale silentium novâ Ecclesiam tuam Martyrii coronâ decorasti; da nobis ejus intercessione & exemplo linguam cautè custodire, ac omnia potius mala, quàm animæ detrimentum tolerare. Per Dominum nostrum.

SECRETUM.

PER hæc tua, Domine, sacra mysteria, illo nos charitatis igne accendamus, quo inclytus Martyr Joannes, eadem peragendo flagrabat. Per Dominum.

POSTCOMMUNIO.

Spiritum, Domine, fortitudinis hæc nobis tribuat mensa cœlestis, quæ beati Martyris tui Joannis pro Sacramenti honore tentatam constantiam, jugiter aluit ad victoriam. Per Dominum nostrum.

DIE XXI. MAII.

In Festo S. Yvonis Confessoris. Missa, Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis. Oratio propria.

ORATIO.

DEus, qui beatum Yvonem Confessorem tuum piis operibus, signis & virtutibus in Ecclesiâ tuâ clarere fecisti; præsta, quæsumus,

ORATIO.

ut ejus meritis & precibus tua beneficia capiamus. Per Dominum.

DIE XXIV. MAII.

In Festo S. Joannis-Francisci Regis Confessoris. Missa, Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis. Oratio propria.

ORATIO.

DEus, qui ad plurimos pro salute animarum perferendos labores beatum Joannem-Franciscum Confessorem tuum mirabili charitate & invictâ patientiâ decorasti: concede propitius, ut ejus exemplis instructi & intercessionibus adjuvi, æternæ vitæ præmia consequamur. Per Dominum.

FESTA JUNII.

DOM. III. POST PENTECOSTEN.

In Festo Sacratissimi Cordis D. N. J. C.

INTROITUS.

Cum sanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de universis terris: & effundam super vos aquam mundam; & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor novum. *Ezech. 36.*

Psal. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. Ps. 33. Gloria Patri.

Domine Jesu Christe, qui ineffabiles tui Cordis divitias Ecclesiæ, sponsæ tuæ, singulari dilectionis beneficio, aperire dignatus es: concede propitius, ut gratis cœlestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus, corda nostra ditari ac recreari mereantur. Qui vivis, &c.

Pro Sanctiss. Corde B. M.

ORATIO.

DEus, qui beatæ Mariæ semper Virginis Cor sanctissimum spiritualibus gratiæ donis cumulasti, & ad imaginem divini Cordis Filii ejus Jesu Christi, charitate & misericordiâ plenum esse voluisti: concede, ut qui hujus dulcissimi & amantissimi Cordis memoriam agimus, fidei virtutum ipsius imitatione Christum in nobis exprimere valeamus.

Commem. Dom.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios. 2. Cor. 6.

Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii! cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris. Eandem autem habentes remunerationem, tanquàm filiis dico, dilatamini & vos. Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial?

D

Aut quæ pars Fideli cum Infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam vos: & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.

Grad. Oculi omnium in te sperant, Domine; & tu das illis escam in tempore opportuno. *Psal.* 144.

✠. Aperis tu manum tuam, & imple omne animal benedictione.

Alleluia, allel. ✠. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo & psallam tibi, gloria mea. *Psal.* 107. Alleluia.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. *Joan.* 19.

IN illo tempore: Judæi, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura:

sed unus militum lanceam ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus; & ille scit, quia vera dicit: ut & vos credatis. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

Dicitur Credo, est Festum transferatur.

Offertorium. Jubilate Deo, universa terra; psalmum dicite nomini ejus: Venite & audite, & narrabo vobis, omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ. *Psal.* 65. Alleluia.

SECRET A.

Pretiosa nos, Domine, Cordis tui Sacratissimi commercia vivificent, ut ablato à nobis corde lapideo, tuam semper charitate vivamus. Qui vivis, &c.

Pro Sanctiss. Corde B. M.

SECRET A.

Tuam, Domine, propitiationem, & piam sanctissimi Cordis beatæ Virginis Mariæ intercessionem, ad perpetuam atque præsentem hæc oblatio nobis proficiat prosperitatem & pacem.

Commem. Dom.

Præfatio Nativitatis Domini.

Communio. Qui biberit aquam

quam ego dabo ei, dicit Dominus, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Joan.* 4.

POSTCOMMUNIO.

Concede nobis, quæsumus, Domine, divini Cordis Filii tui sacrarium ingressis, ut in eo nostra fixa sint corda, in quo thesaurus, quies, & sanctarum felicitas præparatur animarum. Per eundem Dominum.

Pro Sanctiss. Corde B. M.

POSTCOMMUNIO.

Sumptis, Domine, salutis nostræ subsidii; da, quæsumus, sanctissimi Cordis beatæ Mariæ semper Virginis patrocinis nos ubique protegi, in cujus veneratione hæc tuam obtulimus majestati.

Commem. Dom.

Evang. Dom. in fine.

In Missâ votivâ de Sacratiss. Corde JESU, à Septuag. ad Pasch. post Graduale loco Alleluia & ✠. sequentis dicitur,

Tractus. Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis. *Psal.* 21.

✠. Factum est cor meum tanquam cera liquecens in medio ventris mei. *Ibid.*

✠. Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defensionem meam conspice. *Ibid.*

✠. Narrabo nomen tuum fratri-

bus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. *Ibid.*

Tempore paschali loco Gradualis dicitur,

Alleluia, alleluia. ✠. Lætatum est cor meum, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. *Psal.* 15.

Alleluia. ✠. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dexterâ tuâ usque in finem. *Ibid.* Alleluia.

DIE I. JUNII.

In Festo S. Ronani Episcopi & Confessoris. Missa, Sacerdotes tui, de Communi Confessoris Pont. cum Evangelio, Ecce nos reliquimus omnia, ex Missâ, Os justi, de Communi Abbatum.

DIE XXI. JUNII.

In Festo S. Ludovici Gonzagæ Confessoris. Missa, Os justi, de Communi Confessoris non Pont. Oratio & Evangelium prop.

ORATIO.

Celestium donorum distributor Deus, qui in angelico juvene Ludovico miram vitæ innocentiam pari cum poenitentia sociasti; ejus meritis & precibus concede, ut innocentem non secuti, poenitentem imitemur. Per Dominum.

† Sequentia sancti Evangelii
secundum Matthæum. *Matth. 22.*

IN illo tempore : Respondens Je-
sus, ait Sadducæis : Erratis nes-
cientes Scripturas neque virtutem
Dei; in resurrectione enim neque
nubent neque nubentur : sed erunt
sicut Angeli Dei in cœlo.

DIE XXVII. JUNII.

*In Festo Ss. Irenæi Episcopi &
Doctōris ac Sociorum ejus Marty-
rum. Missa, Intret in conspectu tuo,
de Communi plurim. Mart. extra
temp. pasch. Oratio & Evang. prop.*

O R A T I O.

DEus, cujus gratiâ sancti Mar-
tyres Irenæus & Socii ejus
mundi nec blanditiis, nec terroribus
devicti sunt; da nobis ut te solum
diligentes, prospera mundi simul &
adversa despiciamus. Per Dominum.

† Sequentia sancti Evangelii
secundum Matthæum. *Matth. 10.*

IN illo tempore : Dixit Jesus Dis-
cipulis suis : Nolite timere eos qui
occidunt corpus, animam autem
non possunt occidere : sed potius
timete eum qui potest & animam &
corpus perdere in gehennam. Nonne
duo passerēs assē vaneunt; & unus
ex illis non cadet super terram sine
patre vestro? Vestri autem capilli
capitis omnes numerati sunt. Nolite
timere; multis passeribus meliores

estis vos. Omnis ergo qui confite-
bitur me coram hominibus, confi-
tebor & ego eum coram Patre meo.
Dicitur Credo.

FESTA JULII.

DIE VII. JULII.

*In Festo S. Pulcheriæ Imperatri-
cis, Virginis. Missa, Vultum tuum,
de Communi Virginis tantum. Ora-
tio & Evang. prop.*

O R A T I O.

DEus, qui beatam Pulcheriam
Virginem tuam singulari casti-
tatis prærogativâ decorasti, quique
illi ad defendendam Ecclesiam tuam
summum Fidei amorem tribuere vo-
luisti; concede, ut ejus intercessione,
tibi puris mentibus inhærentes, ab
omnium hostium insidiis misericor-
diter liberemur. Per Dominum.

† Sequentia sancti Evangelii
secundum Joannem. *Joan. 17.*

IN illo tempore : Dixit Jesus : Hæc
est autem vita æterna : ut cognos-
cant te solum Deum verum & quem
misisti Jesum Christum. Ego te cla-
rificavi super terram : opus consum-
mavi quod dedisti mihi ut faciam :
& nunc clarifica me tu, Pater, apud
temetipsum; claritate quam habui,
priusquàm mundus esset, apud te.
Manifestavi nomen tuum hominibus
quos

I N T R O I T U S.

quos dedisti mihi de mundo : tui
erant & mihi eos dedisti, & sermo-
nem tuum servaverunt. Nunc cog-
noverunt quia omnia verba quæ
dedisti mihi abs te sunt : quia, quæ
dedisti mihi, dedi eis : & ipsi acce-
perunt & cognoverunt verè quia a
te exivi, & crediderunt quia tu me
misisti.

DIE XVIII. JULII.

*In Festo S. Camilli de Lellis Con-
fessoris, Clericorum Regularium in-
firmis ministrantium fundatoris. Mis-
sa, Os justi, de Communi Confes-
soris non Pontificis.*

O R A T I O.

DEus, qui sanctum Camillum
ad animarum in extremo agone
luctantium subsidium, singulari cha-
ritatis prærogativâ decorasti; ejus,
quæsumus, meritis Spiritum nobis
tuæ dilectionis infunde : ut in horâ
exitus nostri hostem vincere, & ad
cœlestem mereamur coronam per-
venire. Per Dominum nostrum Je-
sum Christum.

*Commem. Ss. Symphorose & sep-
tem Filiorum Martyrum.*

*Evang. Hoc est præceptum me-
um, ex vigiliâ unius Apostoli.*

DIE XX. JULII.

*In Festo S. Hieronymi Emiliani
Confessoris.*

Effusum est in terrâ jecur meum
super contritione filiæ populi
mei, cum deficeret parvulus & lac-
tens in plateis oppidi. *Thren. 2.*

*Pf. Laudate, pueri, Dominum :
laudate nomen Domini. Psal. 112.
Gloria Patri.*

O R A T I O.

DEus, misericordiarum pater,
per merita & intercessionem
beati Hieronymi, quem orphanis
adjutorem & patrem esse voluisti;
concede, ut spiritum adoptionis,
quo filii tui nominamur, & sumus,
fideliter custodiamus. Per Dominum.

*Commem. S. Margaritæ V. & M.
Lectio Isaïæ Prophetæ. Is. 58.*

Frange esurienti panem tuum,
& egenos vagosque induc in do-
mum tuam : cum videris nudum,
operi eum, & carnem tuam ne des-
pexeris. Tunc erumpet quasi manè
lumen tuum, & sanitas tua citius
orietur, & anteibit faciem tuam
justitia tua, & gloria Domini col-
liget te. Tunc invocabis, & Domi-
nus exaudiet : clamabis, & dicet :
Ecce adsum; si abstuleris de medio
tui catenam, & desieris extendere
digitum, & loqui quod non prodest.
Cum effuderis esurienti animam tu-
am, & animam afflictam repleveris,
orietur in tenebris lux tua, & te-
nebræ tuæ erunt sicut meridies. Et

requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.

Graduale. Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. *Prov. 5.*

✠ Jucundus homo, qui misereatur, & commodat: disponet sermones suos in iudicio, quia in æternum non commovebitur. *Pf. III.*

Alleluia, alleluia. ✠ Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. *Ibid. Allel.*

† Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. *Matth. 19.*

IN illo tempore: Oblati sunt Jesu parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Jesus verò ait eis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum coelorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit indè. Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falsum testimonium dicis: Honora patrem tuum & matrem

tuam: &, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiavi à juventute meâ, quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me.

Offertorium. Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tuâ, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. *Tob. 12.*

SECRET A.

Clementissime Deus, qui veteri homine consumpto, novum fecundum te in beato Hieronymo creare dignatus es: da per merita ipsius, ut nos pariter renovati hanc plantationis hostiam in odorem tibi suavissimum offeramus. Per Dominum.

Commem. S. V. & M.

Communio. Religio munda & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc est: Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo. *Jac. 1.*

POSTCOMMUNIO.

Angelorum pane refecti te, Domine, suppliciter deprecamur, ut qui annuam beati Hieronymi Confessoris tui memoriam celebrare

audemus, ejusdem etiam & exemplum imitemur, & amplissimum in regno tuo præmium obtinere valeamus. Per Dominum.

Commem. S. V. & M.

DIE XXVII. JULII.

In Festo S. Samsonis Episcopi & Confessoris. Missa, Statuit ei Dominus, de Communi Confessoris Pontificis. Orationes & Evangelium propriis.

ORATIO.

DEus, qui etiam longinquis & remotis ad mare regionibus beati Pontificis Samsonis ministerio gloriam tuam prædicari voluisti: us meritis & intercessione concede, ut quæ pro consequendâ salute, facienda edocuit, digno evangelicis promissis effectu adimplere valeamus. Per Dominum.

Commem. S. Pantaleonis Mart.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. *Matth. 10.*

IN illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Euntes, prædicatè, quia appropinquavit regnum coelorum. Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, dæmones ejicite: gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in vestris: non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamentum, neque virgam: dignus enim est

operarius cibo suo. In quamcumque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate quis in eâ dignus sit: & ibi manete donec exeatis. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.

SECRET A.

DEus, qui cum muneribus nullis indigeas, ipse nobis munera cuncta largiris: accipe propitius quæ de tuis donis tibi nos offerre voluisti, & beati Samsonis Antistitis intercessione præsta, ut exuberans in nobis tui gratia Sacramenti, donis suis ipsa nos dignos efficiat. Per Dominum.

Commem. S. M.

POSTCOMMUNIO.

Plebs tua, Domine, Sacramentis purificata coelestibus, & beati Samsonis Pontificis adjuta suffragiis, quod sumit, intelligat; quod gustu delibat, moribus apprehendat; quod justis orationibus expetit, tuâ miseratione percipiat. Per Dominum nostrum.

Commem. S. M.

DIE XXX. JULII.

In Festo S. Guillelmi Episcopi & Confessoris. Missa, Sacerdotes tui, de Communi Confessoris Pontificis. Com. Ss. Abddon & Sennen Mart.

FESTA AUGUSTI.

DIE II. AUGUSTI.

In Festo S. Germani Episcopi & Confessoris. Missa, Statuit ei Dominus, de Communi Confessoris Pont. Com. S. Stephani Papæ & M.

DIE XXI. AUGUSTI.

In Festo S. Joannæ-Franciscæ Fremiot de Chantal, Viduæ, Ordinis Sanctimonialium Visitationis Sanctæ Mariæ fundatricis. Missa, Cognovi, de Communi nec Virginis nec Martyris. Orationes prop.

ORATIO.

OMnipotens & misericors Deus, qui beatam Joannam-Franciscam tuo amore succensam admirabili spiritus fortitudine, per omnes vitæ semitas in viâ perfectionis donasti; quique per illam illustrare Ecclesiam tuam novâ prole voluisti: ejus meritis & precibus concede, ut qui infirmitatis nostræ conscii, de tuâ virtute confidimus, cœlestis gratiæ auxilio, cuncta nobis adversantia

vincamus. Per Dominum nostrum. *Commemoratio Octavæ Assumptionis ob quam dicitur Credo.*

SECRET A.

Illo nos amoris igne, quæsumus, Domine, hæc hostia salutaris inflammet, quo beatæ Joannæ-Franciscæ cor vehementer incendit, & flammis adussit æternæ charitatis. Per Dominum.

Commem. Oct.

Præfatio de Octavâ.

POSTCOMMUNIO.

Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos cœlestis panis virtute satiasti, beatâ Joannâ-Franciscâ intercedente, facias terrena despiciere, & te solum Deum purâ mente sectari. Per Dominum nostrum.

Commem. Oct.

DIE XXII. AUGUSTI.

In Festo Vitæ interioris B. M. V. Missa votivâ B. M. V. à Pentecoste usque ad Adventum. Oratio & Evangelium prop.

ORATIO.

Deus, qui beatam Mariam semper Virginem, spiritualibus gratiæ donis cumulando, eam imaginis Filii tui plenius conformem fecisti; concede, ut fidei virtutem ipsius imitatione Christum in nobis exprimere valeamus. Qui tecum

Nihil

Nihil de Octavâ, sed sit commem. Ss. Timothæi & Soc. M.

† Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. *Luc. 1.*

In illo tempore: Exclamavit voce magnâ (Elizabeth) & dixit ad Mariam: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio inans in utero meo. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.

Dicitur Credo.

Præfatio de B. M. Et te in Festivitate.

DIE XXVII. AUGUSTI.

In Festo S. Josephi Calasancii Confessoris.

INTROITUS.

Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. *Psal. 33.* Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. *Ibid.* Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui per sanctum Josephum Confessorem tuum ad erudiendam spiritum intelligentiæ ac pietatis juventutem novum Ecclesiæ tuæ subsidium providere dignatus es; præsta, quæsumus, nos ejus exem-

plo & intercessione ita facere & docere, ut præmia consequamur æterna. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ. Sap. 10.

Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum, honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius. In fraude circumvenientium illum adfuit illi, & honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum; & certamen forte dedit illi, ut vinceret, & seiret, quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc venditum justum non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum Regni, & potentiam adversus eos qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, & dedit illi claritatem æternam Dominus Deus noster.

Grad. Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium. *Psal. 36.*

✠. Lex Dei ejus in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus ejus. *Ibid.*

Alleluia, alleluia. ✠. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. *Jac. 1.* Alleluia.

F

† Sequentia sancti Evangelii
secundum Matthæum. *Matth. 18.*

In illo tempore: Acceperunt Discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas major est in regno cœlorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum, & qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

Offertor. Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua. *Psal. 9.*

SECRETA.

Altare tuum, Domine, muneribus cumulamus oblati; ut ejus nobis fiant supplicatione propitia, cujus nos donasti patrocini adjuvari. Per Dominum.

Communio. Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei. *Marc. 10.*

POSTCOMMUNIO.

Sanctificati, Domine, salutari mysterio, quæsumus, ut intercedente sancto Josepho Confessore tuo, ad majus semper proficiamus pietatis incrementum. Per Dominum nostrum.

FESTUM SEPTEMBRIS.

DIE XXV. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Josephi de Cupertino Confessoris.

INTROITUS.

Dilectio Dei honorabilis sapientia: quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione & in agnitione magnalium suorum. *Eccl. 1.*

Psal. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Psal. 83. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui ad Unigenitum Filium tuum exaltatum à terra omnia trahere disposuisti; perfice propitius, ut meritis & exemplo Seraphici Confessoris tui Josephi supra terrenas omnes cupiditates elevati, ad eum pervenire mereamur: Qui tecum, &c.

LECTIO Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios. 1. Cor. 13.

Fratres: Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tintiens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, cha-

ritatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulator, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit: sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.

Grad. Domine, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. *Psal. 20.*

✠. Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. *Ibid.*

Alleluia, alleluia. ✠. Oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltavit caput ejus. *Eccl. 11. Alleluia.*

Evangelium. Loquebatur Jesus Principibus Sacerdotum, ex Dom. XIX. post Pentecosten.

Offertorium. Ego autem, cum mihi molesti essent, induabar cilicio. Humiliabam in jejuniis animam meam: & oratio mea in sinu meo

convertetur. *Psal. 34.*

Secreta ex Missa, Os justii, de Communi Confessoris non Pontificis.

Communio. Ego sum pauper & dolens: salus tua, Deus, suscepit me. Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. *Psal. 68.*

Postcommunio ex eadem Missa, Os justii, de Communi Confess. non Pontificis.

FESTA OCTOBRI.

DOMINICA III. OCTOBRIS, juxta Computum Ecclesiasticum.

In Festo Sacerdotii D. N. J. C.

INTROITUS.

Statuisti ei Dominus testamentum pacis, & Principem fecisti eum, ut sit illi Sacerdotii dignitas in æternum. *Eccl. 45.*

Psal. Memento, Domine, David: & omnis mansuetudinis ejus. Psal. 131. Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui ad majestatis tuæ gloriam, & generis humani salutem, Unigenitum tuum Summum constituisti Sacerdotem; præsta, ut quos mysteriorum suorum elegit cooperatores & dispensatores, ministerium quod acceperunt fideliter impleant. Per eundem.

Commem. Dom.

Lectio Epistolæ beati Pauli
Apostoli ad Hebræos. *Heb. 7.*

Translato enim Sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat. In quo enim hæc dicuntur, de aliâ Tribu est, de quâ nullus altari præsto fuit. Manifestum est enim quod ex Judâ ortus sit Dominus noster: in quâ Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est. Et amplius adhuc manifestum est: si secundum similitudinem Melchisedech exurgat alius Sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim: Quoniam tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando Sacerdotes facti sunt, hic autem cum jurejurando per eum, qui dixit ad illum: Juravit Dominus, & non poenitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum:) In tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus. Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic au-

tem eò quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo. Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

Graduale. Juravit Dominus, & non poenitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Psal. 109.*

✠. Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis. *Ibid.*

Alleluia, alleluia. ✠. Hic est Sacerdos quem coronavit Dominus. Alleluia.

† Sequentia sancti Evangelii
secundum Lucam. *Luc. 22.*

In illo tempore: Cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico

Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto Calice, gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est Calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

Dicitur Credo per Oct.

Offertorium. Sanctificavit Moyses altare Domino offerens super illud holocausta: & immolans victimas, fecit sacrificium vespertinum in odorem suavitatis Domino Deo, in conspectu filiorum Israel.

SECRET A.

Sanguis, quem effudit Christus ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, clamat ad te, Deus, ut à Sacerdotali ministerio fures & mercenarios arceas; & qui mensæ demoniorum esse participes non erubescunt, ejusdem Dominici Sanguinis non finas fieri consecratores. Per eundem Dominum.

Commem. Dom.

Præfatio. Verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi

semper & ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Per Christum Dominum nostrum. Qui victima Sacerdotii sui, & Sacerdos suæ victimæ tibi Patri suo seipsum primus obtulit, & hoc fieri per Ministrorum manus in sui commemorationem præcepit; & quos Mysteriorum suorum facit dispensatores, post completum dignè ministerium, gloriæ suæ jubet esse consortes. Et ideo cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cumque omni militiâ cœlestis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes.

Hæc Præfatio dicitur per totam Octav. etiam in Festis, nisi occurrat Festum quod propriam habeat, v. g. Festum S. Lucae.

Communio. Panem de cœlo dedisti nobis, Domine, habentem omne delectamentum & omnem saporem suavitatis. *Sap. 16.*

POSTCOMMUNIO.

Sancte Pater omnipotens, respice de Sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo, in faciem Christi tui; & quos eodem sancto Sacerdotio decorare dignatus es, benedic abundantî gratiæ tuæ largitione, & populus bonis tuis adimplebitur. Per eundem Dominum.

Commem. Dom.

Evang. Dom. in fine.

¶ *Infrà Oct. dicitur eadem Missa cum 2. Or. Concede, 3. Ecclesiæ, vel pro Papâ.*

DOMINICA IV. OCTOBRI.
juxta Computum Ecclesiasticum.

In Festo omnium Ss. Episcoporum, Sacerdotum & Levitarum novæ Legis, ac præsertim Diæcesis Corisopitensis.

INTROITUS.

OMnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt. Et sunt quorum non est memoria; sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt, & laudem eorum nuntiet Ecclesia. *Ec. 44.*

Psal. Venite, audite & narrabo, omnes qui timetis Deum: quanta fecit animæ meæ. Psal. 65. Gloria.

ORATIO.

Deus, tuorum gloria Sacerdotum, qui ad immortales triumphos eos extulisti qui fideliter ministerium suum impleverunt: præsta, ut eorum intuentes exitum conversationis, virtutes imitemur, & quos habuimus aliquandò Pastores, habeamus in cœlis intercessores. Per Dominum.

Com. Dom. sed non fit com. Oct. Lectio Libri Ecclesiastici. Ec. 44.

Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione suâ. Multam gloriam fecit Dominus

magnificentia suâ à sæculo. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, & prudentia suâ præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, & imperantes in præsentī populo, & virtute prudentiæ populis sanctissima verba. In peritiâ suâ requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum. Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Et sunt quorum non est memoria: perierunt quasi qui non fuerint: & nati sunt, quasi non nati, & filii ipsorum cum ipsis. Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt. Cum semine eorum permanent bona. Hæreditas sancta nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum: & filii eorum propter illos usque in æternum manent. Semen eorum & gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia.

Grad. Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur:

SECRET A.

Accedimus ad te, Domine, cum verâ fiducia; & qui filii Sanctorum sumus, in eorum societate admitti in cœlis enixè postulamus. Per Dominum.

Commem. Dom.

Præfatio, ut in Festo Sacerdotii D. N. J. C.

Communio. Cibavit eos ex adipe frumenti, & de petrâ melle saturavit eos. Psal. 80.

POSTCOMMUNIO.

DA nos, Deus, beatorum Pontificum, Sacerdotum & Levitarum novæ Legis exemplo & precibus, ab Altaris tui mensâ tanquàm leones recedere, charitatis ignem spirantes, & diabolo factos divinâ virtute terribiles. Per Dominum.

Commem. Dom.

Evang. Dom. in fine.

DIE III. OCTOBRI.

In Festo S. Melori Mart. Missa, In virtute tuâ, de Communi unius Mart. non Pont. cum Evangelio, Si quis vult venire post me, ex Missâ, Sacerdotes Dei, de Communi unius Martyris Pontificis.

DIE XVI. OCTOBRI.

In Festo S. Cognogani Corisopitensis Episcopi & Confessoris. Missa, Statuit ei Dominus, de Communi

ur: maximè qui laborant in verbo & doctrinâ. *1. Tim. 5.*

¶ Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Dan. 12.*

Alleluia, allel. ¶ Probasti nos, Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum: posuisti tribulationes in dorso nostro. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. *Psal. 65. Alleluia.*

† Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. *Joan. 4.*

In illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut, & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est verbum verum: Quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis. Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.

Dicitur Credo, etiamsi Festum transferatur.

Offertorium. Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. 1. Cor. 4.

Confess. Pont. In Ecclesiâ Cathedrali dicitur Credo.

DIE XX. OCTOBRIS.

In Festo S. Joannis Cantii Confess.

INTROITUS.

Miseratio hominis circa proximum: misericordia autem Dei super omnem carnem. Qui misericordiam habet, docet, & erudit quasi pastor gregem suum. *Eccli. 18.*

Psal. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in viâ peccatorum non stetit, & in cathedrâ pestilentiae non sedit. *Psal. 1.* Gloria Patri.

ORATIO.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut sancti Joannis Confessoris exemplo in scientiâ Sanctorum proficientes, atque aliis misericordiam exhibentes, ejus meritis indulgentiam apud te consequamur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Jacobi Apostoli. *Jac. 2.*

Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari. Judicium enim sine misericordiâ illi, qui non facit misericordiam: superexaltat autem misericordia judicium. Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Si autem frater & soror nudi sint,

& indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini; non dederit autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsâ.

Graduale. Confiteantur Domino misericordiae ejus; & mirabilia ejus filiis hominum. *Psal. 106.*

Ps. Quia satiavit animam inanem, & animam esurientem satiavit bonis. *Ibid.*

Alleluia, allel. *Ps.* Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. *Prov. 31.* Allel.

Evangelium. Sint lumbi vestri, ex *Missa*, Os justi, de *Communi Confessoris non Pontificis.*

Offertorium. Justitiâ indutus sum; & vestivi me sicut vestimento & diademate, judicio meo; oculus fui cæco, & pes claudus, Pater eram pauperum. *Job. 29.*

SECRETA.

HAs, quæsumus, Domine, hostias sancti Joannis Confessoris tui meritis benignus assume, & præsta ut te super omnia, & omnes propter te diligentes, corde tibi & opere placeamus. Per Dominum.

Communio. Date, & dabitur vobis; mensuram bonam, & conferam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. *Luc. 6.*

POSTCOMMUNIO.

POSTCOMMUNIO.

Pretiosi Corporis & Sanguinis tui, Domine, pasti deliciis, tuam supplices deprecamur clementiam, ut sancti Joannis Confessoris tui meritis & exemplis, ejusdem charitatis imitatores effecti, consortes simus & gloriæ. Qui vivis, &c.

DIE XXI. OCTOBRIS.

In Festo Ss. Ursulae & Sociarum ejus Virginum & Martyrum. Missa, Loquebar, de Communi Virginis & Martyris. Oratio propria.

ORATIO.

Deus, qui singulari Providentiâ beatam Ursulam & Socias ejus ad virginitatis & martyrii palmam provexisti: da nobis earum intercessionem, ita varios sæculi æstus pertransire, ut ad æternæ salutis portum feliciter pervenire mereamur. Per.

Commem. S. Hilarionis Abbatis. Epistola, Secreta & Postcommunio ex Missa, Me expectaverunt, de Communi plurium Virgin. & Mart.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

In Festo S. Raphaelis Archangeli. Omnia ex Missa votivâ de Angelis, præter Orationem, Epistolam, Evangelium & Postcommunione.

ORATIO.

Deus, qui beatum Raphaelem Archangelum, Tobiae famulo

tuo comitem dedisti in viâ; concede nobis famulis tuis, ut ejusdem semper protegatur custodiâ, & muniamur auxilio. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum, &c.

Lectio Libri Tobiae. *Tob. 12.*

IN diebus illis: Dixit Angelus Raphael ad Tobiam: Etenim sacramentum Regis abscondere, bonum est: opera autem Dei revelare & confiteri, honorificum est. Bona est oratio cum jejuniis & eleemosinâ, magis quàm thesauros auri reconcondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam: qui autem faciunt peccatum & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. Manifesto ergò vobis veritatem, & non abscondam à vobis occultum sermonem. Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tuâ, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Et nunc misit me Dominus ut curarem te, & Saram uxorem filii tui à dæmonio liberarem. Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem qui astamus antè Dominum.

H

† Sequentia sancti Evangelii
secundum Joannem. *Joan. 6.*

In illo tempore : Erat dies festus
Judæorum, & ascendit Jesus Je-
rosolymam. Est autem Jerosolymis
Probatica Piscina, quæ cognomina-
tur Hebraicè, Bethesda, quinque
porticus habens. In his jacebat mul-
tudo magna languentium, cæco-
rum, claudorum, aridorum, expec-
tantium aquæ motum. Angelus au-
tem Domini descendebat secundum
tempus in Piscinam, & movebatur
aqua : & qui prior descendisset in
Piscinam post motionem aquæ, sa-
nus fiebat à quâcumque detinebatur
infirmirate.

Dicitur Credo.

POSTCOMMUNIO.

Dirigere dignare, Domine
Deus, in adjutorium nostrum
sanctum Raphaelem Archangelum :
& quem tuæ majestati semper as-
sistere credimus, tibi nostras exiguas
preces benedicendas assignet. Per
Dominum nostrum Jesum Christum
Filium tuum : Qui tecum vivit &
regnat, &c.

DIE XXVI. OCTOBRI.

*In Festo S. Alori Corisopitensis
Episcopi & Confessoris. Missa, Sa-
cerdotes tui, de Communi Confessoris
Pontificis. In Ecclesiâ Cathedrali di-
citur Credo.*

FESTA NOVEMBRIS.

DOMINICA INFRA OCTAVAM
omnium Sanctorum.

In Festo Venerationis Reliquiarum.

¶ Quando prima dies Novembris
est Dominica, tunc de hoc Festo
occurrente in die octavâ, fit feria
sextâ præcedenti cum commemora-
tione Oct.

INTROITUS.

Tunc parebit signum filii homi-
nis in cælo : & mittet Angelos
suos cum tubâ & voce magnâ : &
congregabunt electos ejus à quatuor
ventis, à summis cælorum usque ad
terminos eorum. *Matt. 24.*

*Psal. Elegi abjectus esse in domo
Dei mei : magis quàm habitare in
tabernaculis peccatorum. Psal. 83.*
Gloria Patri.

ORATIO.

Auge in nobis, Domine, resur-
rectionis fidem, qui in Sancto-
rum tuorum Reliquiis mirabilia ope-
raris : & fac nos immortalitatis glo-
riæ participes, cujus in eorum ci-
neribus pignora veneramur. Per Do-
minum.

Commem. Dom. & Oct.

LECTIO Libri Sapientiæ. Sap. 5.

Tunc stabunt justi in magnâ
constantia adversus eos qui se

angustiaverunt, & qui abstulerunt
labores eorum. Videntes turbabun-
tur timore horribili, & mirabuntur
in subitatione insperatæ salutis, di-
centes intra se, poenitentiam agen-
tes, & præ angustia spiritus gemen-
tes : hi sunt quos habuimus aliquando
in derisum & in similitudinem im-
properii. Nos insensati vitam illorum
estimabamus insaniam, & finem il-
lorum sine honore : Ecce quomodo
computati sunt inter filios Dei, &
inter Sanctos fors illorum est. Ergo
erravimus à viâ veritatis, & justitiæ
lumen non luxit nobis, & sol intel-
ligentiæ non est ortus nobis. Lassati
sumus in viâ iniquitatis & perditio-
nis, & ambulavimus vias difficiles ;
viam autem Domini ignoravimus.
Quid nobis profuit superbia ? Aut
divitiarum jactantia quid contulit
nobis ? Transierunt omnia illa tan-
quàm umbra, & tanquàm nuntius
percurrrens, & tanquàm navis quæ
pertransit fluctuantem aquam : cu-
jus, cum præterierit, non est ves-
tigium invenire, neque semitam ca-
rinæ illius in fluctibus ; aut tanquàm
avis quæ transvolat in aere, cujus
nullum invenitur argumentum iti-
neris, sed tantum sonitus alarum
verberans levem ventum, & scin-
dens per vim itineris aerem : com-
motis alis transvolavit, & post hoc
nullum signum invenitur itineris il-

lius : aut tanquàm sagitta emissa in
locum destinatum, divisus aer con-
tinuò in se reclusus est, ut ignoretur
transitus illius. Sic & nos nati con-
tinuò desivimus esse : & virtutis qui-
dem nullum signum valuimus osten-
dere : in malignitate autem nostrâ
consumpti sumus. Talia dixerunt in
inferno hi qui peccaverunt : quo-
niam spes impii tanquàm lanugo est,
quæ à vento tollitur : & tanquàm
spuma gracilis, quæ à procellâ dis-
pergitur : & tanquàm fumus, qui à
vento diffusus est : & tanquàm me-
moria hospitis unius diei prætereun-
tis. Justi autem in perpetuum vivent,
& apud Dominum est merces eo-
rum, & cogitatio illorum apud Al-
tissimum. Ideò accipient regnum de-
coris, & Diadema speciei de manu
Domini : quoniam dexterâ suâ teget
eos, & brachio sancto suo defendet
illos.

Graduale. Visi sunt oculis infi-
pientium mori ; illi autem sunt in
pace. *Sap. 3.*

¶ Expergiscimini & laudate, qui
habitis in pulvere, dabo spiritum
meum in vobis, & vivetis. *Is. 26.*
Ezech. 37.

Alleluia, alleluia. ¶ Anima mea
exultabit in Domino, & delectabi-
tur super salutari suo : omnia ossa
mea dicent ; Domine, quis similis
tibi ? *Psal. 34.* Alleluia.

† Sequentia sancti Evangelii
secundum Lucam. *Luc. 12.*

IN illo tempore : Dixit Jesus Discipulis suis : Dico autem vobis amicis meis ; ne terreamini ab his qui occidunt corpus , & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum qui , postquam occiderit , habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis , hunc time. Nonne quinque passeris vaneunt dispendio ? Et unus ex illis non est in oblivione coram Deo : sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere : multis passeribus plaris estis vos. Dico autem vobis : Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus , & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. Qui autem negaverit me coram hominibus , negabitur coram Angelis Dei. Et omnis qui dicit verbum in filium hominis , remittetur illi : ei autem qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit , non remittetur. Cum autem inducent vos in Synagogas , & ad Magistratus & Potestates , nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis , aut quid dicatis : Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere.

Dicitur Credo.

Offertor. Quid prodest homini ,

si universum mundum lucretur , animæ verò suæ detrimentum patiatur ? Aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ ? *Matth. 16.*

SECRET A.

DEus , qui corpora Sanctorum tuorum per inhabitantem Spiritum Sanctum tuum sanctificare dignatus es ; præsta , ut eorum pia merita recolentes , imitemur exempla , & terrestria relinquentes , sola quæramus cœlestia. Per Dominum nostrum... in unitate ejusdem Spiritus Sancti , &c.

Commem. Dom. & Ocl.

Communio. Et nos tantam habentes impositam nubem testium , curamus ad propositum nobis certamen : aspicientes in auctorem fidei Jesum , qui proposito sibi gaudio , sustinuit crucem , confusione contemptâ , atque in dexterâ sedis Dei sedet. *Heb. 12.*

POSTCOMMUNIO.

Mirabilem te , Deus , & unum Sanctum in omnibus Sanctis tuis adorantes , gratiam tuam imploramus ; quâ perficientes sanctificationem in timore tuo , ex hac cœlesti mensâ , ad cœli ipsius perenne transeamus convivium. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium , &c.

Commem. Dom. & Ocl.

Evang. Dom. in fine.

Dom.

DOM. II. INTRA MENSEM NOV.

In Festo Patrocinii B. M. V.

¶ Quando Dominica II. Novembris occurrit infrâ octavam , vel in die octavâ omn. Sanctorum , hoc Festum in sequentem Dominicam transfertur. *Missâ votiva B. M. V. à Pentecoste usque ad Adventum. Oratio propria.*

ORATIO.

Concede , quæsumus , omnipotens Deus , ut fideles tui qui sub sanctissimæ Virginis Mariæ nomine & protectione lætantur , ejus piâ intercessione à cunctis malis liberentur in terris , & ad gaudia æterna pervenire mereantur in cœlis. Per Dominum.

Fit com. Dom. Dicitur Credo. Præfatio de B. M. Et te in Patrocinio. Evang. Dom. in fine.

DIE III. NOVEMBRIS.

In Festo S. Guinali Abbatis. Miss. Os justi , de Communi Abbatum.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

In Festo S. Tremori Martyris. Miss. Lætabitur , de Communi unius

Mart. non Pont. cum Evang. Si quis venit ad me , ex Missâ , Statuit ei Dominus , de Communi unius Martyris Pontificis.

DIE XVI. NOVEMBRIS.

In Festo S. Maudeti Confessoris. Ad libitum , Missâ , Justus ut palma , de Communi Confessoris non Pont.

DIE XXVIII. NOVEMBRIS.

In Festo Sancti Stanislai Kostkæ Confess. Missâ , Justus ut palma , de Communi Confessoris non Pontificis. Oratio & Evang. prop.

ORATIO.

DEus , qui inter cætera sapientiæ tuæ miracula , etiam in tenerâ ætate maturæ Sanctitatis gratiam contulisti ; da quæsumus , ut beati Stanislai exemplo , tempus instantè operando redimentes , in æternam ingredi requiem festinemus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium.

† Sequentia sancti Evangelii
secundum Matthæum. *Matth. 19.*

IN illo tempore : Oblati sunt Jesu parvuli , &c. ut suprâ in Festo S. Hieronymi Emiliani die 20 Julii.



MISSA

PRO ANNIVERSARIO ORDINATIONIS.

INTROITUS.

Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: filius meus es tu, ego hodiè genui te. *Heb. 5.*

Psal. Tu es Sacerdos in æternum: secundum ordinem Melchisedech. *Psal. 109.* Gloria Patri.

ORATIO.

Deus, qui me indignum in Sanctuario tuo collocasti, & mihi onus humeris angelicis formidandum imposuisti; Sacerdotum tuorum novissimum misericorditer respice: gratiam Ordinationis resuscita in me, adauge & confirma: da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret: fac me Sacerdotem secundum cor tuum, & à Jesu Christo Filio tuo, sempiterno Sacerdote, nunquam separari permittas. Per eundem.

Commem. Sab. nisi transferatur.

Lectio Ezechielis Prophetæ.

Ezech. 13.

ET factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, vati-

cinare ad Prophetas Israel, qui prophetant. Et dices prophetantibus de corde suo: audite verbum Domini: hæc dicit Dominus Deus: Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum & nihil vident. Quasi vulpes in desertis, Prophetæ tui, Israel, erant. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. Vident vana, & divinant mendacium, dicentes: ait Dominus; cum Dominus non miserit eos: & perseveraverunt confirmare sermonem. Numquid non visionem cassam vidistis, & divinationem mendacem locuti estis? Et dicitis: ait Dominus; cum ego non sim locutus. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti estis vana, & vidistis mendacium, ideò ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus. Et erit manus mea super Prophetas, qui vident vana, & divinant mendacium. In consilio populi mei non erunt, & in Scripturâ domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur. Et scietis quia ego Dominus Deus: eò quòd deceperint populum meum, dicen-

tes: Pax, & non est pax: & ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis. Dic ad eos qui liniunt absque temperaturâ, quòd casurus sit. Erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem. Siquidem ecce cecidit paries, numquid non dicitur vobis: ubi est litura quam liniistis? Propterea hæc dicit Dominus Deus: & erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione meâ, & imber inundans in furore meo erit: & lapides grandes in irâ in consumptionem. Et destruam parietem, quem liniistis absque temperamento; & adæquabo eum terræ, & revelabitur fundamentum ejus; & cadet, & consumetur in medio ejus: & scietis quia ego sum Dominus. Et complebo indignationem meam in pariete, & in his qui liniunt eum absque temperamento, dicamque vobis: non est paries, & non sunt qui liniunt eum: Prophetæ Israel, qui prophetant ad Jerusalem, & vident ei visionem pacis, & non est pax, ait Dominus Deus. Et tu fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde suo, & vaticinare super eas, & dic: hæc dicit Dominus Deus: Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manûs; & faciunt cervicalia sub ca-

pite universæ ætatis, ad capiendas animas; & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad pulvillos vestros, quibus vos capitis animas volantes: & dirumpam eos de brachiis vestris: & dimittam animas, quas vos capitis, animas ad volandum. Et dirumpam cervicalia vestra, & liberabo populum meum de manu vestrâ, neque erunt ultra in manibus vestris ad prædandum: & scietis quia ego Dominus. Pro eo quòd mœrere fecistis cor justî mendaciter, quem ego non contristavi: & confortastis manus impij, ut non reverteretur à viâ suâ malâ, & viveret: propterea vana non videbitis, & divinationes non divinabitis amplius, & eruam populum meum de manu vestrâ: & scietis quia ego Dominus.

Graduale. Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis sicut disposuit Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedetis super

thronos, judicantes duodecim Tribus Israel. *Luc. 22.*

✠. Ecce venio citò, tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. *Apoc. 3.*

Alleluia, alleluia. ✠. Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis; ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. *1. Pet. 2.* Alleluia.

In Quadrag. omiff. Alleluia & ✠. seq. dicitur,

Tractus. Surge, Domine, in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. *Psal. 131.*

✠. Sacerdotes tui induantur justitiam, & Sancti tui exultent. *Ibid.*

✠. Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui. *Ibid.*

† Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. *Joan. 20.*

IN illo tempore: Cùm serò esset die illo, unâ Sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant Discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et cùm hæc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gavisi sunt ergò Discipuli, viso Domino. Dixit ergò eis iterum: Pax vobis. Hæc cùm dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum reti-

nueritis, retenta sunt.

Offertorium. Fili hominis, spem latorem dedi te domui Israel: & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. *Ezech. 3.*

S E C R E T A.

Sanguis quem effudit Christus, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, clamat ad te, Deus, ut à Sacerdotali Ministerio fures & mercenarios arceas: & qui mensæ demoniorum esse participes non erubescunt, ejusdem Dominici Sanguinis non finas esse consecratores. Per eundem Dominum.

Commem. Sab. nisi transferatur.

Communio. Jam non dicam vos servos; quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. *Joan. 15.*

P O S T C O M M U N I O.

DEus patrum nostrorum, & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, da nobis sedium tuarum assitricem sapientiam. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut nobiscum sit, & nobiscum laboret: custodiat nos in suâ potentiâ, & disponemus populum tuum justè, ut sedium patrum nostrorum digni inveniamur. Per Dominum nostrum, &c.

Commem. Sab. nisi transferatur.

Evang. Sabbati in fine.